

De Smae. Trinitatis Mysterio.

Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

(Fortsetzung zu Heft IV. 1899, S. 570—582.)

i) Praeterea non sola sapientia peculiari modo praedicatur de Filio, sed inexistencia quoque ejus in Patre; non quidem in sensu circumincessionis, quae fundatur in unitate et simplicitate divinae naturae, et ideo praedicari debet indiscriminatim de tribus Personis, sed secundum proprietatem personalem Filii. Filius enim Verbum est Patris; verbum autem est conceptus mentis; conceptus autem mentis manet in mente: et hoc significare videtur Evangelista (Joan. 1, 18) cum dicit de Filio quod „est in sinu Patris“. Revera aliquid proprium verba ista enuntiare videntur de persona Filii, aliquid nimirum praeter circumincessionem Personarum: licet enim Dominus dicit: (Joan. 10, 38) „Pater in me est, et ego in Patre,“ non tamen videtur conveniens dicere quod Pater est in sinu Filii, sicut dicitur de Filio quod est in sinu Patris, quoniam Filius pertinet ad Patrem, non per dependentiam quae inferioritatem importet, sed utique ratione originis, quatenus nempe est conceptus mentis ejus; et secundum hoc recte dicitur quod Pater habet Filium in sinu suo: et ideo non oportet dicere quod Pater est in sinu Filii, ut sit locus discernendae proprietati Filii, ipsum videlicet esse Verbum Patris; non enim Filius Patrem, sed Pater concepit Filium in mente sua. Etsi ergo vere Pater est in Filio, non tamen bene sonaret propositio „Pater est in sinu Filii, nam quamvis „esse in sinu“ non significet majorem interioritatem aut penetrationem quam esse in alio per circumincessionem, nihilominus exhibet modum essendi in alio qui, data in Personis differentia proprietatum secundum originem vel processionem, inconvenienter praedicaretur de Personis omnibus sicut circumincessio, nam „esse in sinu alterius“ idem sonat atque intra eum esse inclusum, quod plus dicit quam simpliciter esse in alio per unius in tribus naturae communionem, et soli convenit Filio quatenus ut Verbum est in mente Patris. Porro cum haec locutio „est in sinu Patris“ aptissima sit ad denotandam eam proprietatem Filii, non est credendum Evangelistam ejusdem proprietatis significationem non intendisse in illa usurpanda, sed illam adhibuisse in substitutionem dumtaxat alterius solam circumincessionem significantis. Equidem loquitur Evangelista loc. cit. de revelatione divinorum nobis facta per Filium, qui ea bene novit, utpote existens in sinu Patris: „Deum, ait, nemo vidit unquam: Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit“: unde patet quod mens Evangelistae fuit per ipsum significare secretum, quatenus videlicet in Filio non simplex tantum visio

Patris est agnoscenda, sed etiam cognitio secretorum ejus; et secundum hoc locutio de qua agimus, nihil peculiare dicit de persona Filii, quoniam idem dici debet de Spiritu S., cui pariter Scriptura tribuit cognitionem secretorum Dei. „Spiritus, ait Apostolus, (1 Cor. 2, 10) omnia scrutatur, etiam profunda Dei;“ per quod ostendit posse se loqui Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quoniam accepit Spiritum qui ex Deo est; Spiritus enim Dei cognovit quae Dei sunt, id est, omnium secretorum Dei est conscius, seu scrutatur profunda Dei. Sicut ergo Filium, ita et Spiritum S. Scripturae exhibent et divina enarrantem et secreta Dei penetrantem; sed non eodem modo de utroque loquuntur, quoniam non idem est utriusque modus procedendi a suo principio. Spiritum S. enim Pater et Filius se invicem amando emittunt vel spirant; quod autem emittitur, ut sic, non manet in principio a quo emittitur; propter quod non quadrat Spiritui S. quod dicitur de Filio, hunc nempe esse in sinu Patris, per quod significatur immanentia non modo relate ad divinitatem, sed etiam ad Personam producentem qua talem. Nam Filius exit quidem a principio secundum quod producit, in quo sensu alias diximus quod Pater generans Filium, velut sol emittit radium vel splendorem gloriae suae; at secundum modum productionis, qui est per mentalem conceptionem, manet in principio. Spiritus Sanctus autem exit a principio et secundum quod producit, et secundum productionis modum, qui est per spirationem. Vnde licet spectato scopo citati loci Evangelii, per sinum significatur secretum, hoc tamen non obstat quominus memorata loquendi formula „est in sinu Patris“ significet etiam proprietatem Filii, quoniam occasione asserendi Filio cognitionem secretorum Patris indicavit Evangelista specialem modum quo secundum proprietatem personalem praedicanda est immanentia ejusdem Filii in Patre. Et ad rem magis illustrandam praefatam loquendi formulam cum illa conferamus psalmi CIX „ex utero ante luciferum genui te“. Haec porro significat proprietatem Filii quoad modum productionis ejus, illa vero secundum immanentiam ejus, non modo scilicet tamquam Dei, sicut manet in divinitate Spiritus Sanctus, sed etiam tamquam Verbi, cui competit manere in mente. Et nota diligenter differentiam inter phrases „gigni ex utero“ et „esse in sinu“: nam „gigni ex utero“ non praesupponit existere in utero, alioquin non esset gigni, sed simpliciter exire de utero; Filius autem non exit de Patris utero per motum vel translationem, sed per veram et proprie dictam productionem: uterus ergo hic non significat secretum ubi Filius sit, sed originem, id est, Patris substantiam unde accipit esse. Nomen uterus utique aptum est significare secretum, et hanc significationem haberet, si Scriptura diceret „Filius est in utero Patris“; sed in phrasi qua Scriptura utitur,

„ex utero genui te,“ uterus non supponit pro secreto ubi Filius sit, sed pro origine unde habet esse. „Esse autem in sinu“ significat existentiam alicujus rei quasi in loco; et male diceretur: „ex sinu genui te“, e sinu namque aliquid educitur, non gignitur. Itaque Unigenitus Dei gignitur ex utero, id est, de substantia Patris, ut Filius; et in hoc convenit cum Spiritu S. secundum originem vel processionem simpliciter, licet non secundum processionem modum: manet autem in sinu, id est, in mente Patris, ut Verbum; et in hoc differt a Spiritu S. secundum modum immanentiae. Habes igitur intra Deum triplicem immanentiae modum: nam actio qua producitur Spiritus S., non est immanens nisi secundum naturam divinitatis, habet enim pro termino Personam distinctam a suo principio, quae manet quidem in principio suo spectato secundum naturam, sed non ut in supposito distincto, quia producitur per spirationem. Aliud genus est actionis immanentis cujus terminus est quidem Persona distincta a suo principio, sed manet in principio non solum secundum naturam, sed etiam ut in supposito distincto; quamvis haec non est adhuc immanentia secundum actionem ut sic. Hic secundus modus immanentiae convenit actioni qua producitur Filius, qui est Persona distincta a Patre, et tamen manet in Patre, non modo quatenus ipse Pater Deus est, sed etiam quatenus Pater est; quia Filius producitur per mentalem conceptionem, secundum quam dicitur de eo quod est in sinu Patris. Tertium genus actionis immanentis in Deo est cujus terminus est ipsum principium ejus, id est, ipsum suppositum operans, et haec, ut patet, non est actio productiva, sed unitiva, potentiae nempe cum objecto, quia nemo producit semetipsum: talis est intellectio qua unaquaeque divina Persona cognoscit semetipsam et alias. Nec mireris quod cognitioni suipsius cognitionem aliarum Personarum adjungam, eo quod antea dixerim quod actio de qua modo agitur, habet pro termino ipsum suppositum operans; in divinis enim Personis, quoad hanc relationem unionis inter potentiam et objectum intellectionis, et quoad actionis immanentiam de qua modo agimus, idem est cognoscere semetipsam atque cognoscere alias, quoniam unaquaeque videt alias in semetipsa propter numericam naturae iu tribus unitatem; et ideo quamvis unaquaeque videt alias tamquam distinctas a se, non tamen videt eas positas extra se, sed contentas in semetipsa, quia unum et idem sunt cum ea; unde manifestum fit quod terminus talis actionis, quamvis haec extendatur ad Personas distinctas, recte dicitur esse ipsum suppositum operans. Et haec est immanentia secundum ipsam actionem ut sic, quia terminus actionis nullo modo est extra principium ejus; et comparate ad hanc immanentiam Filius exivit a Patre, quatenus est productus ab eo.

1) In eodem dilecto Filio suo unice atque summe Pater sibi complacet tamquam in fructu plenissimo infinitae virtutis suae, in quo tota sapientia sua resplendet, tota sua bonitas atque potentia, ita ut nihil possit ei placere nisi in illo, quemadmodum per illud Evangelii oraculum. (Luc. III, 22) nobis ipse revelavit: „Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.“ Propter quod oportebat ut Sapientiae genitae, quae ex ore Altissimi prodivit primogenita ante omnem creaturam, non solum effectus extra Deum apparent, sed quaedam etiam similitudines, spectata natura processionis Verbi Dei, ut in creatoris quoque, pro earum modulo, ostendatur gloria Smae. Trinitatis, cum omnia propter semetipsum, id est, propter gloriam suam, Dominus operatus sit. Vnde Sapientia seipsam commendans, (Eccli. XXIV) postquam suum ex ore Altissimi ortum enarravit, continuo, ante reliquas omnes laudes suas, subdit sibi deberi ortum lucis in coelis, dicens: „Ego feci in coelis ut oriretur lumen indeficiens.“ Et merito quidem, nam Sapientia genita oritur intra Deum tamquam splendor divini luminis, tamquam expressio vel manifestatio Paternae gloriae; et ideo congruum erat ut lucis quae facta est ad rerum manifestationem in ordine sensibili, omne enim quod manifestatur, juxta Apostolum, lumen est, ante caeteros divinae sapientiae effectus mentio fieret. Non solum autem prior ponitur lux a Scriptura in ordine narrationis, sed prior quoque facta perhibetur Gen. I. inter omnia quae sex diebus a Deo facta sunt. Factorum, inquam, prior est lux, non autem creatorum ex nihilo; quia in principio, antequam lux fieret, creavit Deus coelum et terram; terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi. Creata autem materia de qua omnia formanda erant, dixit Deus: Sit lux. Et fuit lux.¹⁾ — In ordine quoque spirituali fecit Sapientia

¹⁾ Circa convenientiam hujus ordinis, ut videlicet lux et ante omnium formationem facta sit, (quamvis luminaria posita sunt in firmamento coeli die quarto, id est, immediate ante ortum animalium) et post creatam materiam de qua omnia formanda erant, accipe sequentia. — Lux in Deo nec tempore nec natura posterior est divina substantia, sed est idem cum ea: non ita vero in ordine visibilium. Experientia enim constat res materiales per radiorum lucis receptionem nobis manifestari, atque irradiatione cessante invisibiles fieri; per quod ostenditur earumdem rerum a luce realis distinctio. Non solum autem ab his rebus quae luce privari cernuntur, ipsa realiter distinguitur, sed ab iis etiam quae lucem ab aliis non recipiunt, sed a seipsis lucis radios emittunt; ita ut lux non sit aliqua materia, sed ex parte rei materialis accidens ipsius, motus videlicet qui a re materiali proficiscens, et organum visionis ab anima vivificatum percipiens, causa est communicationis animae cum re externa, vel manifestationis ejusdem rei, quoniam in hac communicatione eandem anima rem externam virtute sua perceptiva apprehendit. Et re quidem vera, cum anima rei speciem a se non habeat, neque cum mundo corporeo communicet (excepta sui unione cum corpore quod vivificat) nisi media aliqua actione seu impressione rei materialis in organo sensorio recepta; qualiscumque naturae supponatur esse aliqua res materialis, effici nequit unio ejus et animae in ordine cognitionis nisi per

ut oriretur lumen indeficiens, in domo nimirum quam sibi aedificavit, sancta videlicet Ecclesia, quoniam sedes Sapientiae est anima justī. Humanum genus peccato primi parentis factum fuit terra inanis et vacua; sed quemadmodum in principio, quando

aliquam impressionem in organum seu per aliquem motum: unde si lux substantia materialis esse supponatur, nequit fieri manifestatio ejus ad animam nisi per aliquam impressionem ejus in organum seu per aliquem motum; et sic lux ejusdem conditionis evadit atque caeterae res materiales quatenus non manifestatur per seipsam, sed per impressionem in organum; hoc autem est contra conceptum lucis, per eam quippe fit omnis rei manifestatio, et illa proin debet manifestari per seipsam, manifestatur enim aliquid in quantum illuminatur, et omne quod manifestatur, lumen est. Si ergo manifestatio rei materialis ad animam non fit sine motu vel impressione in organum, (et sane, si organum non deservit ad recipiendam impressionem, non apparet quodnam esse possit munus ejus) et ideo nulla res, praeter solam lucem, manifestatur per seipsam, jure inde inferitur lucem non esse aliquam substantiam materialem, sed ex parte rei materialis non consistere nisi in motu. Confirmatur, quia praesciendō ab impressione in organum, rei manifestatio, cujus causa formalis est lux, ad ordinem pertinet cognoscitivum; et ideo ipsa lux non est qualitas aliqua ordinis materialis, sed pertinet ad vitam animae; ex parte autem rei materialis adest motus vel actio quae, uti diximus, cadit in organum, quaque fit ut anima communicet cum re externa, et virtute sua perceptiva apprehendat eam. Confirmatur insuper experientia interna, quia rem sensibilem, puta arborem, domum, quam medio organo visionis percipimus, etiam physica communicatione animae cum re externa cessante, intra nos intuemur: non datur autem visio sine lumine, quia omne quod manifestatur, lumen est: ergo lumen per quod fit manifestatio rei externae, non ab extrinseco recipimus, sed animae proprium est; alioquin non esset possibilis visio interna seu imaginaria, in qua lumen ab extrinseco non recipitur. Nec dicas lumen in perceptione rei externae medio organo receptum animam facere suum, et per illud posse deinde rem eandem in visione imaginaria contemplari; nam repraesentatio imaginaria datur etiam in homine caeco a nativitate circa sensationes reliquas, in quo nequit anima lumen recipere ab extrinseco. Itaque cum motus habeat rationem causalitatis relate ad diversas rerum materialium formas et proprietates, ideo lux, quae ex parte rei materialis consistit in motu, ante rerum formationem facta perhibetur: et ideo, ut puto, ipsius tantum, inter omnia quae in motu consistunt, mentio fit, quia motus materiae in genere sufficienter intelligitur in illis Scripturae verbis (ibidem) »Spiritus Dei ferebatur super aquas«, per quae significatur virtutis divinae praesentia et actio in elementa materiae; in luce autem non sola attenditur ratio motus, sed etiam ratio manifestationis rerum quae fit per eam, et secundum quam, propter suam pulchritudinem et analogiam ad intellectualem lucem, inter omnes ordinis sensibilis qualitates obtinet principatum: unde nihil mirum quod signanter fiat mentio illius. Si autem quoad motum ex parte materiae lux facta est die primo, quoad rerum manifestationem posita sunt astra in firmamento coeli die quarto, id est, immediate ante ortum animalium, quae facta sunt die quinto; quia non datur rei manifestatio sine subjecto cui manifestetur, id est, sine subjecto cognoscente; et ideo tunc facta est per astrorum collocationem vel apparitionem in firmamento conveniens radiorum lucis distributio, cum immediate producenda erant animalia, quae gaudent facultate videndi. Dicit autem Scriptura quod die primo divisit Deus lucem a tenebris, quia materiam cui motum indidit per quem rerum manifestatio vel illuminatio fit, a materia reliqua, mea saltem opinione, separavit. Et addit continuo Scriptura quod appellavit Deus lucem diem et tenebras noctem, quia lux et tenebrae a die quinto, existentibus animalibus, futurae erant per motum qui factus est die primo. — Adverte autem nomen dies tripliciter a Scriptura usurpari in hoc

creavit Deus coelum et terram, „Spiritus Dei ferebatur super aquas,“ ut ex illa creatae materiae mole, rudi adhuc et informi, per virtutis divinae praesentiam et actionem formarentur plantae, animalia, caeteraque omnes rerum materialium species in quibus

ordine creationis rerum enarrando. Nam primo per hoc nomen significat lucem simpliciter, vel tempus quo subjectum videns fruitur lucis praesentia, ait enim v. 5: »Appellavitque (Deus) lucem diem et tenebras noctem«. Eandem nomen dies significationem habet in ordine spirituali apud Apostolum dum dicit: (Rom. XIII, 12, 13) »Nox praecessit, dies autem appropinquivit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus.« — Id est, appropinquivit regnum coelorum, dies beatae atque aeternae vitae; quia hujus diei luce jam inchoative fruimur per Evangelium. Igitur honeste ambulemus, sicut decet tali lumine illustratos. — Versu autem 14 ejusdem cap. I. Geneseos luminaria coeli ad hoc dicuntur facta ut dividant diem ac noctem, (seu lucem ac tenebras, prout dicitur v. 18) et sint in signa et tempora, et dies et annos. Vbi notandum est: 1^o quod divisio lucis a tenebris, prout fit per luminaria coeli, distingui debet ab eadem divisione quae facta est die primo; nam si eodem sensu utraque accipiatur, sine contradictione dici non potest luminaria coeli esse facta ad dividendam lucem a tenebris, quod jam die primo factum supponitur. Optime autem fit haec distinctio per eam quam dedimus explicationem de motu qui factus est die primo, et causa fuit illuminationis rerum a die quinto quo facta sunt animalia. Nam die primo divisit Deus lucem a tenebris per separationem materiae cui motum eundem indidit, a materia reliqua; die autem quarto facta est haec divisio quatenus per Solis praesentiam, qui die quarto positus est in firmamento coeli, alterum Terrae hemisphaerium illustratur luce illius, simulque alterum luce privatur: et ita habetur dies et nox, seu lux et tenebrae in Terra. Vnde 2^o si divisio diei et noctis effectus est praesentiae Solis in firmamento, dies naturalis 24 horarum, qui die ac nocte constat, seu luce et tenebris, nequit esse dies qui vespere et mane conflatur juxta Scripturae locutionem dicentis: (ibidem) »Et factum est vespere et mane dies unus, dies secundus,« etc.; sed est dies significatus per idem nomen dies in plurali, ubi dicitur de luminariis: (eodem v. 14) »et sint in signa et tempora et dies et annos«: nam hic innuuntur temporis partes, et ideo dies, tamquam pars anni vel mensis, non supponit pro sola lucis praesentia, sed pro die naturali 24 horarum, qui luce et tenebris constat. Praeterquam quod nec mane idem est ac dies seu totum tempus lucis, nec vespere idem ac nox seu totum tempus tenebrarum; sed potius per mane significatur loc. cit. ortus rerum quae quolibet e sex diebus factae sunt, et per vespere ejusdem ortus praeparatio, ita ut vespere et mane idem sit atque ante et post. Habes itaque diem qui est tempus illuminationis rerum; diem qui est tempus 24 horarum, seu diem naturalem, qui constat tempore lucis et tempore tenebrarum; ac denique diem qui ponitur pro tempore indeterminato, quales sunt sex dies creationis, qui vespere et mane constare dicuntur. Nec dubitandum est nomen dies significare posse tempus simpliciter vel aliquod tempus indeterminatum, cum in hoc sensu adhibeatur in aliis Scripturae locis, ut v. g. cum Dominus de seipso ait: (Joan. VIII, 56) »Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum«: vel etiam Gen. II, 4: »Istae sunt generationes coeli et terrae in die quo fecit Dominus Deus coelum et terram.« Dies enim naturalis 24 horarum est quid completum in ratione temporis, et ideo propter analogiam vocari potest dies tempus quod insumitur vel fluit in opere aliquo perficiendo. Dies ergo qui vespere et mane constare dicitur, praesindit a luce et tenebris, et significat aliquod temporis spatium intra quod aliqua rerum productio vel formatio facta est: propterea haec formula »factum est vespere et mane« pro singulis sex diebus indifferenter adhibetur, cum tamen dies naturalis, qui constat luce et tenebris, non esset nisi

mundi hujus utilitas consistit ac ornamentum, non absimiliter, miseris Deus humani generis, illud in statu spiritualis ruinae non dereliquit, sed a principio adfuit illi virtus Spiritus Sancti, quae lucem fecit oriri in revelationibus quae factae sunt patriarchis, nec non in lege Moysi et oraculis prophetarum; divisitque, ut in mundo physico, lucem a tenebris, filios Dei videlicet a filiis

ex quo apparuerunt astra in firmamento. — Praeterea, data veritate hujus sententiae, quod scilicet dies qui vespere et mane constare dicitur, non est dies naturalis 24 horarum, sed tempus quo opus aliquod perficitur, vespere et mane non sunt respective finis unius operis et initium alterius, quia sic dies de quo agitur, non esset tempus quo opus aliquod perficitur; sed per mane, ut supra dixi, significatur ortus rei factae, et per vespere ortus ejusdem praeparatio. Quod Scripturae apprime consonat: nam in die primo v. g. vespere fuit status terrae inanis et vacuae ante lucis productionem; mane autem fuit ipsa lucis productio et divisio ejus a tenebris ad modum supra expositum: et completo hoc opere, factum est vespere et mane dies primus. Et ita de diebus reliquis. Non est ergo mane initium operis, sed operis consummatio; quia secundo die factum est firmamentum, et divisae sunt aquae ab aquis; hoc enim est opus distinctum ab opere primi diei, non hujus operis consummatio. Porro si mane esset initium operis, vespere autem finis, Scriptura non diceret »factum est vespere et mane«, sed »mane et vespere.« — Quod autem terra vere fuerit inanis et vacua, id est, in hoc statu extiterit ante lucis productionem, omnino tenendum est contra eos qui putant opera omnia quae sex diebus comprehenduntur, facta esse in instanti, eorumdem vero dierum ordinem, mentalem esse, non realem: si enim non fuisset realis successio inter ea quae sex diebus facta narrantur, falsa evaderent plura quae Scriptura absolute affirmat, terram videlicet fuisse inanem et vacuum; tenebras fuisse super faciem abyssi; et in hoc statu existentibus elementis, ad Dei imperium prodiisse lucem: falsa, inquam, haec omnia essent, quia non nisi per vim aliter quam de ordine reali intelliguntur: aliunde verba Scripturae, dummodo nihil obstet, in sensu proprio sunt accipienda. Quidni vero placeat praefati ordinis executio, cum tam pulchra sit ejus conceptio et narratio? Eo vel magis quod in ipso non tam attendenda sunt quae fecit Deus in elementa materiae quam quae de futura tunc humani generis conditione per illa adumbrata sunt: cum enim visibilia omnia propter hominem condita sint, congruum erat ut quod faciendum erat in homine, mundi elementa suo modo praesignarent. Equidem homo, qualis a Deo conditus fuit, non erat quasi terra inanis et vacua; verum talis effectus est malitia sua, quam Deus in aeternitate sua praevidit, sancteque permisit ad ostendendas divitias misericordiae suae. Sicut autem in humana fragilitate apparet creaturae a Deo dependentia in ordine morali, ut ad recte ac salutariter agendum divino indigeat auxilio: similiter in ordine physico res materiales a Scriptura nobis exhibentur primo imperfectae, deinde ad perfectionem diversarum specierum divina virtute evectae: ut cum actio qua Deus res e nihilo educit et in esse conservat, non sit assequibilis menti nostrae, per transitum saltem creaturae a statu imperfectionis ad perfectionem intelligatur a nobis per voluntatem Dei omnia esse, ad cujus imperium res cunctae obediunt et transformantur, novamque perfectionem acquirunt. Ideo post creatam ex nihilo materiam Spiritus Dei super aquas ferri perhibetur: et eadem de causa scriptum est Ps. 103: »Emittes spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terrae.« — Fortasse alicui supervacaneum videatur materialium rerum species successive produci vel oriri in principio, cum omnia Deus facere posset in instanti, nec homo tunc esset qui contempleretur transformationes rerum. Sed respondetur quod tunc erant Angeli, qui cum habeant cognitionem directam creaturarum in propria earum entitate extra Deum, Creatoris potentiam in mundi elementa operantis admirari poterant atque laudare.

hominum ante diluvium, et post diluvium populum Hebraeorum quem elegit, a gentibus reliquis. Sicut autem in mundo physico astra non posuit in firmamento coeli nisi quando proxime facienda fuerunt animalia, quae visionis sunt capacia, similiter Sol justitiae, Christus Dominus, in coelo Ecclesiae non apparuit nisi quando advenit tempus in quo datum est hominibus nosse mysterium regni Dei; dixit enim Dominus Jesus discipulis suis, qui primitiae erant Ecclesiae videntium: (Luc. VIII) „Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, caeteris autem in parabolis; ut videntes non videant, et audientes non intelligant“: nam Christus, qui est lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, propter humilitatem in qua apparuit et quam praedicavit, fuit Judaeis scandalum, gentibus autem stultitia; unde ipse dixit: „Beatus qui non fuerit scandalizatus in me“: ipsis autem ad fidem vocatis Judaeis atque gentilibus Christus Dei virtus et Dei sapientia. Isti sunt qui videntium societatem constituunt sub regimine Piscatoris Galilaeae, qui, cum per insignem divinitatis Christi confessionem totius meruerit Ecclesiae principatum, accepto Spiritu S., eundem Dominum et Magistrum suum praedicans Filium Dei et Salvatorem mundi, mundum universum, adjuvantibus condiscipulis, illuminavit, et per suos in primatu successores, omnes quotquot salutari lavacro regenerati, verbum Christi in corde bono et optimo audientes retinent, et fructum afferunt in patientia, ad consummationem usque saeculorum ad vitam aeternam perducit, juxta solemne illud promissum et missionem quam a Domino Jesu acceperunt ipsi discipuli ejus quum dixit eis: (Marci XVI, 15, 16) „Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.“ — Insuper quemadmodum lux quae facta est die primo creationis, eadem est quam astra sua irradiatione diffundunt, et astra ipsa ex ea materia formata esse credenda sunt cui Deus primo die motum impressit per quem rerum illuminatio fit; similiter Sol intelligentiarum, Christus Dominus, factus est ex semine David secundum carnem, in quo lux divinae revelationis custodiebatur, et omnia dona Spiritus Sancti quibus humanae mentes illustrantur, secundum totam capacitatem suam in anima recepit, ut de plenitudine ejus accipiamus omnes; Eum quippe qui Filius est Altissimi et coaltissimus ei, tot et talibus in humanitate sua decorari decebat Spiritus Sancti donis, ut omnis in eo sit perfectio quae a Deo possit homini communicari. Hanc plenitudinem praenuntiavit Isaias dicens: „Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.“ Vere enim super eum Spiritus Sanctus requiescit, cum in eum effundatur perenniter et in aeternum, juxta creaturae tamen possibilitatem, tota plenitudo divinitatis. Vere rursus super eum requiescit, sicut dicitur Deus

requievisse in mundi primordiis, facto jam homine propter quem omnia visibilia condita sunt; nam a fortiori creaturae omnes, visibiles et invisibiles, factae sunt propter Christum, qui est caput omnis principatus et potestatis, quem constituit Deus Pater ad dexteram suam in coelestibus supra omnem virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro; propter quod dixit Apostolus: (I. Cor. 3) „Omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.“ Cum autem iste Sol justitiae positus est in loco suo, nempe, ad dexteram Dei Patris in excelsis, tunc Spiritus Sanctus ornavit coelos Ecclesiae, horum namque ornamenta coelorum sunt virtutes praedicantium verbum Christi, ipsis a Spiritu S. infusae, quorum ministerio mundus renovatus est in agnitionem Dei. Propterea dixit Dominus discipulis suis: (Joan. XVI, 7) „Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus, non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.“ Postquam enim opus redemptionis nostrae complevisset in terris tamquam homo, oportebat ut coelorum sublimia ascenderet ad agendum tamquam Deus; Dei quippe solius est per Spiritus Sancti missionem homines facere deos. — Igitur Sapientia fecit in Ecclesia ut oriretur lumen indeficiens, praesertim quatenus se communicavit animae Christi: et hoc divinum lumen per coelos Ecclesiae diffunditur, quia Sapientia in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit. Praecipue autem fit hujus luminis diffusio in coelesti Jerusalem, de qua dicitur Apocal. XXI, 23: „Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.“

(Continuatio in fasc. seq.)

Beiträge zur Geschichte der Kunst und der Kunstbestrebungen der Cistercienser in den Rheinlanden

von der Stiftung des Ordens bis zur Aufhebung.

Von H. Höfer in Köln-Ehrenfeld.

(Fortsetzung zu H. IV. 1899, S. 615—627.)

IV. **Marienstatt, Cistercienser-Abtei bei Hachenburg im Westerwald.**

1. **Erste Gründung** (vetus claustrum) im Kirchspiel Kirburg bei Neunkhausen im Erzstift Trier.

Abt Heinrich von Heisterbach sandte im Jahre 1215 zwölf Mönche unter Anführung des Abtes Hermann von Himmerode zur Stiftung einer neuen Pflanzung in den Westerwald. Die